



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

citurum ex tali semine, scilicet Abraham; & in alio signo subsequenti ordinaverit Abraham & alios ab eo descendentes, ad tantum bonum disponi per sua bona opera, quæ prius erant futura ordine executionis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

101. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Antiqui Patres meruerunt de condigno regnum cælorum: Ergo & apertionem illius, subindeque & ipsam Incarnationem, quantum ad effectum ejus secundarium & minus principalem.

103. Respondeo cum D. Thoma in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 6. quæstiunc. 2. ad 2. quod antiqui Patres meruerunt introitum paradisi, quantum ad id quod persona est, sicut & nos; tamen quod removeretur impedimentum quod erat ex parte naturæ, mereri non potuerunt, & ideo semper remanebat eis janua clausa. Duo itaque clauderant cælos ante Incarnationem Verbi, scilicet culpa totius naturæ, & indignitas cujuslibet particularis; & licet antiqui Patres per proprium meritum hoc secundum impedimentum remove potuerint, primum tamen non potuerunt tollere, quia ad removendum hoc impedimentum requiritur gratia capitis, quam antiqui Patres non habebant. Unde licet de condigno meruerint apertionem regni cælestis, prout dicit remotionem impedimenti quod se tenebat ex parte naturæ, per peccatum originale vitare.

104. **O**bjicies secundò contra secundam conclusionem: Sicut se habet ordo naturæ ad ordinem gratiæ, ita se habet ordo gratiæ ad ordinem hypostaticum: Sed nihil est in toto ordine naturæ, quod possit mereri, etiam de congruo, ordinem gratiæ, aut aliquid ad ipsum pertinens: Ergo nihil etiam est in ordine gratiæ, quod etiam mereri possit aliquid pertinens ad ordinem hypostaticum.

105. Respondeo negando absolutè Majorem: Quævis enim nihil sit in toto ordine gratiæ quod adæquet unionem hypostaticam, aut ea quæ ad ipsam pertinent, nec consequenter quod eam mereatur de condigno; tamen in hoc differt ab ordine naturæ, quod ordo naturæ præcisè non includit amicitiam cum Deo, benè tamen ordo gratiæ, & sic quia ad meritum de congruo non requiritur æqualitas cum præmio, sed sufficit solum quod fundetur in amicitia, inde fit ut quamvis in ordine naturæ non possit esse meritum, etiam de congruo, respectu gratiæ, possit tamen esse in ordine gratiæ, respectu unionis hypostaticæ, circumstantiarum, & effectuum ejus.

106. **D**ices, Opera ordinis gratiæ magis sunt improporcionata unioni hypostaticæ, quam opera merè naturalia ipsi gratiæ: Ergo si per opera naturalia homo non possit de congruo mereri primam gratiam, à fortiori per opera ordinis gratiæ mereri non poterit unionem hypostaticam. Consequentia videtur legitima, Antecedens etiam est manifestum: cum enim ordo hypostaticus, ut supra dicebamus, involvat personam Verbi Divini, quæ est infinitæ dignitatis & perfectionis, veluti in infinitum excedit ordinem gratiæ, qui cum sit finitus, solum finito modo distat ab ordine naturæ.

107. Respondeo distinguendo Antecedens: Sunt magis improporcionata respectu unionis hypo-

Tom. IV.

A staticæ, physicè & in esse entis considerata, concedo. Moraliter & in ratione beneficii spectata, nego. Gratia enim reddit amicum Dei, unde cum inter amicos debeat esse communicatio bonorum propriorum, inde fit quod ille qui habet gratiam, sit maximè proportionatus ad communicandum in bonis propriis Dei, subindeque ad obtinendam Incarnationem in ratione beneficii, quæ est communicatio boni maximè proprii Deo. Ille verò qui habet solum naturam, & qui elicit opera merè naturalia, cum non sit amicus Dei, imò de facto sit ejus inimicus, nullam habet in se proportionem ad communicandum in gratia, quæ cum sit participatio formalis naturæ divinæ, est etiam bonum maximè proprium Deo.

B **O**bjicies tertio: Eodem modo philosophandum est de meritis respectu executionis quæ fit in tempore, & respectu prædestinationis æternæ: Sed respectu prædestinationis divinæ SS. Patres non meruerunt etiam de congruo Incarnationem, alias meruissent etiam de congruo prædestinationem Incarnationis, quod non admittunt communiter Theologi: Ergo &c. Major probatur, quia idem ordo quem res inter se servant in tempore secundum causam & effectum, servare etiam debent in præscientia & prædestinatione divina: unde si voluntas quæ prædestinata fuit Incarnatio sine prævisis meritis SS. Patrum, est efficax, debet etiam in tempore habere effectum independentem ab illis meritis.

C Respondeo, negando absolutè Majorem, ut enim in Tractatu de prædestinatione docuimus, Deus ab æterno secundum ordinem intentionis, prædestinavit homines ad gloriam, independentem ab illorum meritis; ita ut merita hominum prævisa, nullo modo fuerint causa motiva quæ Deum impulerit ad prædestinandum eos ad gloriam. Nihilominus in executione temporali divinæ providentiæ & prædestinationis, Deus nulli adulto confert gloriam, nisi præsuppositis meritis illius. Unde ad probationem illius Majoris, dicendum est, duplicem esse in mente divina ordinem, alium intentionis, & alium executionis, & eundem ordinem quem res inter se servant in tempore secundum causam & effectum, servare etiam in ordine executionis præconcepto & præexistente ab æterno in mente divina; secus verò in ordine intentionis, iste enim cum executione temporali in modo attingendi effectum non adæquatur, sed potius opposito modo procedit, quia ad id unde incipit intentio, terminatur executio.

D **O**bjicies quartò: Principium meriti non potest cadere sub merito, etiam de congruo: Sed Incarnatio fuit principium meriti SS. Patrum: Ergo non potuit cadere sub merito illorum, etiam de congruo. Major patet, nam hac ratione articulo præcedenti docuimus, Christum non potuisse mereri, etiam de congruo, unionem hypostaticam, & in Tractatu de justificatione & merito, ex hoc principio inferunt Theologi, neminem posse sibi mereri, etiam de congruo, primam gratiam justificantem. Minor verò probatur: Omne meritum repertum in antiquis Patribus, fuit ex gratia collata per Christum: Sed gratia collata ex meritis Christi, supponit Incarnationem tanquam sui principium: Ergo & merita Sanctorum Patrum, Incarnationem tanquam sui principium supponebant.

E Mirum est, quantum hoc argumentum Theologorum ingenia torqueat, & in quam varios di-

Ppp

cendi modos eos abire compellat. Sed his brevitate causa prætermittis, respondeo distinguendo Majorem. Principium meriti intrinsecum, & se habens per modum causæ formalis, concedo Majorem. Principium meriti purè extrinsecum, & se habens per modum causæ efficientis moralis, aut finalis, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Incarnatio seu Christus fuit principium meriti SS. Patrum, intrinsecum & formale, nego Minorem. Purè extrinsecum, & se habens per modum causæ efficientis moralis, aut per modum causæ finalis, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Licet ergo Christus non potuerit sibi mereri, etiam de congruo, unionem hypostaticam, quia talis unio non est principium purè extrinsecum & effectivum meritorum Christi, sed etiam intrinsecum & formale, cum sit forma à quo valor meritorius operum Christi desumitur: & quamvis etiam prima gratia justificans non possit cadere sub merito, etiam de congruo, operum præcedentium aut subsequentium; quia hæc est forma meriti constitutiva, & ad illud per modum causæ purè efficientis non comparatur: Incarnatio tamen potuit cadere sub merito antiquorum Patrum, quia Christus non fuit principium seu causa intrinseca & formalis talis meriti, sed extrinseca duntaxat; illud enim solum causavit ad modum causæ efficientis moralis, ut plures existimant; vel ut alij docent, per modum causæ duntaxat finalis, juxta illud ad Roman. 10. *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.*

112. Dices, Inter principium meriti & præmium non potest esse mutua causalitas in eodem genere causæ: At si SS. Patres meruissent Incarnationem de congruo, fuisset inter ea mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis moralis; Incarnatio enim, seu Christus, fuit (ut diximus) juxta plurium Thomistarum sententiam, causa efficiens moralis gratiæ antiquorum Patrum; & similiter antiqui Patres fuissent causa efficiens moralis Incarnationis, si illam de congruo meruissent: Ergo &c.

113. Sed negatur sequela Minoris, ad cujus probationem dicendum est, hoc inter meritum de congruo, & meritum de condigno, reperiri discrimen; quod meritum de congruo, cum nullum inducat debitum justitiæ, non est causa efficiens moralis ejus cujus est meritum, sed potius dispositiva & materialis: meritum verò de condigno, cum debitum justitiæ inducat, rationem causæ efficientis moralis habet: unde si SS. Patres de condigno meruissent Incarnationem, fuisset inter ea mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis moralis; ex eo verò quod meruerint eam de congruo, solum sequitur mutua causalitas in diverso genere causæ: Incarnatio enim, seu Christus, qui in genere causæ efficientis moralis fuit principium meriti Sanctorum Patrum, in genere causæ materialis, seu dispositivæ, ab illis dependet, quia illi ipsi & instantibus precibus ac ferventissimis desideriis, ad recipiendum Christum, & obtinendum Incarnationis mysterium se disposuerunt: quæ dispositiones habuerunt rationem meriti de congruo, ut conclusione secundâ declaravimus.

114. Dices rursus: Si Patres antiqui meruissent de congruo Incarnationem, sibi etiam de congruo meruissent primam gratiam: Sed hoc communiter rejicitur ab omnibus melioris notæ Theologis: Ergo &c. Sequela probatur: Qui meretur cau-

A sam meretur effectum ex ea consecutum: Sed prima gratia sanctorum Veteris Testamenti fuit effectus Incarnationis: Ergo si illi meruerunt de congruo Incarnationem, sibi etiam de congruo meruerunt primam gratiam.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis qui meretur causam, mereatur etiam effectum, naturaliter & per se ex illa secutum; si tamen effectus non sequatur naturaliter, sed liberè ex tali causa, non est necesse illum qui meretur causam, etiam de congruo mereri effectum. Nam si v. g. aliquis mereretur Paulo primam gratiam de congruo, qui postea mediante hujusmodi gratiâ mereretur Petro conversionem, non propterea diceretur mereri Petri conversionem.

B Addo quod antiqui Patres potuerunt quidem mereri de congruo Incarnationem, quia jam præsupponebantur habere gratiam, non tamen potuerunt mereri primam gratiam, etiam de congruo, quia ante illam non erant amici Dei, nec consequenter poterant ab eo aliquid de congruo promereri, cum tale meritum fundetur in legibus amicitiae, & necessario præsupponat gratiam in merente.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

C EX dictis inferes, B. Virginem, nec meruisse, nec potuisse mereri de condigno, ut esset Mater Dei, benè tamen de congruo.

Prima pars hujus corollarij patet ex suprà dictis: In primis enim cum maternitas B. Virginis, utpote ad Christum Deum & hominem terminata, Incarnationem involvat, quæ dicta sunt de Incarnatione, de maternitate B. Virginis intelligenda sunt: At suprà ostendimus, nec SS. Patres, nec B. Virginem, nec ullam puram creaturam, meruisse de condigno, nec mereri potuisse Incarnationem: Ergo B. Virgo, nec meruit de condigno, nec mereri potuit Dei maternitatem.

Deinde, Maternitas B. Virginis est bonum aliquo modo infinitum, pertinet ad ordinem superiorem gratiæ & gloriæ; nimirum ad ordinem hypostaticum: Unde B. Virgini propter maternitatem Dei, debetur excellentior cultus, quam cuilibet alteri Sancto, propter excellentiam gratiæ, ut notavit D. Thomas 2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2. Ergo merita B. Virginis, cum essent solum ordinis gratiæ, erant improporcionata respectu talis præmij, subindeque illud de condigno mereri non poterant.

Addo quod, merita B. Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quæ ut sic solum respicit & inclinatur ad acquirendam beatitudinem, non autem ad promerenda ea quæ sunt ordinis hypostatici, ad quem pertinet maternitas B. Virginis, cum sit circumstantia intrinseca Incarnationis.

Dices primò: Qui meretur de condigno dispositionem ad aliquam formam, videtur etiam mereri ipsam formam: Sed B. Virgo de condigno promeruit illum sanctitatis gradum quo ultimò fuit disposita ad maternitatem Dei, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 3. Ergo pariter meruit de condigno suam maternitatem.

Respondeo primò, negando Majorem, quia contingere potest ut dispositio ad aliquam dignitatem non excedat proportionem virtutis merentis, benè tamen ipsa dignitas: sicut si v. g. ad hoc ut aliquis fieret Rex, requireretur quod haberet